

nec tamen propterea differentia ista inter se simul sunt, sed quatenus sibi invicem succedunt. h. est, aliud praeterit, aliud adhuc est, & aliud denique futurum est: sic tota coexistit huic diei, quatenus is nunc est, totaque crastino, quatenus ille cras est, &c. Planè ut essentia DEI praesens est Petro, dum est Jenæ & simul Paulo, dum est Lipsiæ, & tota quidem utrique, quamvis Petrus Paulo tum non adsit. Et sicuti DEUS in omnibus locis totus est, non secundum partes suas, quas non agnoscit; ita Aeternitas ejus est Duratio ejusmodi, quæ ita semper est, ut simul tota semper sit, & non est duratio in fluxu posita, in qua praeter id quod transit, semper adhuc aliquid futurum sit.

Th. 33. Nec quicquam obtinet Vorstius, quando objicit, h. m. DEUM posse efficere, ut praeteritum non sit verè praeteritum, futurum non verè futurum, nam illud jam non amplius est, hoc verò nondum est, & tamen utrumque praesens est in aeternitate, si ubicunque aeternitati coexistit: Bz. tum sequeretur hoc, quod Vorstius intendit, si statueremus, Aeternitatem coexistere omnibus temporis partibus & differentiis simul sumtis & simul existētibus, hoc verò non affirmamus, sed volumus coexistere iisdem partibus divisim sumtis & sibi invicem succedentibus. Sic totum cælum, quantum est, coexistit Abrahamo, & post aliquot annos eò mortuo coexistit Josuæ, & eò etiam mortuò coexistit Davidi, & sic deinceps, nec tamen sequitur, Abrahamum, Josuam & Davidem simul existisse.

Th. 34. Pergit ineptire Vorstius dicendo: hoc modo sequeretur etiam ipsas temporum differentias inter sese coexistere, v. g. primum hujus mundi annum, quo creatus est Adamus, esse hunc ipsum praesentem annum, in quo nos jam vivimus; imò quemvis diem praeteritum adhuc verè praesentem, & quemvis futurum simpliciter praesentem esse, eoque nullum verè praeteritum aut futurum esse. Nam quæ uni tertio eadem sunt, inter se quoque eadem sunt. Ast Vorstius eadem chorda semper operatur: Licet enim Aeternitas coexistat hodierno diei indivisibiliter, etiam crastino diei, non tamen sequitur, crastinum esse hodiernum, propterea, quia non coexistit hisce duobus diebus simul sumtis, sed divisim sumtis, licet ipsa Aeternitas maneat indivisibilis. Annus itaque hujus mundi primus non est annus praesens ob eandem rationem jam allatam.

Th. 35